

§. 2.

Cuius rei amplissimum ducit argumentum ex ea divini Spiritus sententia, quae verbis concepta legitur in Haggaei codice II, 7. 8. sub ipsis auspiciis templi Hierosolymitani renascentis, vulgo secundi, scripto. Continet ea, quod nemo dubitat, insigne vaticinium de regno Messiae, sive de religionibus Christianis. In medio relinquamus, quicquid ornare poterat hanc sententiam; solum enim Pauli divinitus edocti testimonium praestat reliquis, eamque abunde confirmat. Ad id potius nunc animum intendamus, quod Paulus in ea stabilitum videt, id quod, nisi interpretes Spiritus S. lumine coelitus infuso exornatus accessisset, nemo nostrum, acutissimus licet, puto, vidisset. Vidit enim in ea invictissimum pro christianarum religionum veritate argumentum, quod dignum statuit, in quo elaboraret. Idque hunc in modum conficitur. Quia novus coelorum terrarumque motus, aetate Messiae futurus promittitur, terrae motui, qui accidit in deserto Sinai in ipsa cultus Mosaici institutione, oppositus, sequitur, antiquationem legis veteris, seu oeconomiae Mosaicae a Deo decretam esse. Quia vero dicitur, tantum semel, non amplius, eiusmodi terrae coelique motum, eumque in sanctione Novi Foederis fore, inde certum esse colligit, divinam Novi Testamenti oeconomiam stabilem, firmam, immotam fore ac sempiternam, id est, ad momentum usque novissimum haud antiquatum abrogatumve iri. Sed persequemur Paulum, tum in verbis, tum in sententia, quam mirifice tam exornavit, quam confirmavit.

§. 3.

Primum est, ut a Paulo accipiamus orationis in Haggaeo consignatae auctorem, quem docet esse filium Dei. Cuique comma 25. inspicienti & in contexta oratione perlegenti facile erit dictis fidem addere. Nuncupat ibi Iesum partim Ἰησοῦν

Ἰησοῦν